



The Holy See

PAULUS EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI

AD PERPETUAM REI MEMORIAM CONSTITUTIO APOSTOLICA *SANENSIS**

MISSIO SANENSIS, QUAE SUI IURIS ERAT, IN FORMAM DIOECESIS REDIGITUR, EODEM
QUIDEM NOMINE, AT MUTATIS FINIBUS.

Qui benignissimo Dei consilio idcirco in vertice sacerdotalis auctoritatis constituti sumus ut Christi gregem universum, quasi ab ipso Petro hereditate accepta, omni diligentia custodiremus, ita Ecclesiae sanctae laboribus, certaminibus, luctibus afficimur, ut tamen pari gaudio de eius progressibus, incrementis, triumphis, quos interdum illata gentibus sanctissima Christi religione agit, laetemur. Quam ob rem, cum Missio sui iuris Sanensis, in Republica Mali cognominata exstans, talia suscepisset incrementa ut visum sit eandem ordini dioecesium accenseri, idque venerabilis Frater Ioannes Baptista Maury, Archiepiscopus titulo Laodicensis in Phrygia et in Africa Occidentali Apostolicus Delegatus, ab hac Apostolica Sede petiisset, Nos re quidem bene considerata, consilioque expetito cum a Sacra Congregatione Fidei Christianae Propagandae, tum etiam a venerabilibus Fratribus Petro Leclerc, Archiepiscopo-Episcopo Seguensi, et Renato Landru, Praefecto Apostolico Gaoënsi, libentissimo animo precibus admotis accedendum esse decrevimus. Quapropter, Missionem sui iuris Sanensem, sequentibus territoriis auctam: parte nempe territorii, seu Districtus Civilis, Ke-Macina, quae in dextera ripa fluminis Niger sita est, quaeque adhuc dioecesi Seguensi subiecta erat, atque universo Districtu civili Djenné cognominato, hactenus ad praefecturam apostolicam Gaoënsis pertinente, in ordinem dioecesium redigimus, *eodem nomine* Sanensi servato. Quam metropolitanae Sedi Bamakoënsi suffraganeam facimus, id censentes ut etiam in posterum Sacrae Congregationi Fidei Propagandae obnoxia maneat. Sedes episcopalis in urbe vulgari lingua San denominata figetur; in qua sane Episcopus domicilium collocabit. In eadem autem civitate, eodemque principe templo B. Mariae Virginis Lapurdensis sacer Praesul cathedram suae dignitatis et auctoritatis ponet. Novae dioecesis Antistes curet ut Canonicorum collegium condatur, maiestati sacrarum caerimoniarum augendae consiliisque habendis; quod si statim fieri nequeat, eligat ad tempus dioecesanos Consultores, quibus pro Canonicis utatur. In ceteris omnibus agendis normae Codicis Iuris Canonici omnino serventur sive scilicet quod ad Seminarium attinet, sive ad lectionem Vicarii Capitularis, Sede vacante, sive regimen et administrationem Sedis, cetera. Has autem Litteras Nostras venerabilis Frater Ioannes Baptista Maury fieri studebit, vel quem ille delegaverit; ad quod

debitas facultates facimus. Re autem acta, documenta exarentur, eademque sinceris exemplis ad Sacram Congregationem statim mittantur. Hanc Constitutionem Apostolicam nunc et in posterum efficacem esse et fore volumus, contrariis minime obstantibus, etiam speciali mentione dignis.

Datum Romae, apud S. Petrum, die undetricesimo mensis Septembris, anno Domini millesimo nongentesimo sexagesimo quarto, Pontificatus Nostri secundo.

IACOBUS A. Card. COPELLO <i>S. R. E. Cancellarius</i>	GREGORIUS P. Card. AGAGIANIAN <i>S. Congr. Consistorialis a Secretis</i>
--	---

pro Regente

Rodmons Galliganilosephus Rossi, Ep. tit. Palmyrenus, *Protonot. Apost.*

Caesar Federici, *Protonot.*

Apost.

*A.A.S., vol. LVII (1965), n. 6, pp. 441-442 © Copyright 1964 - Libreria Editrice Vaticana